



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum religionis obtentu sit pietatis officium prætermittendum? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

& cultum impendit: & idè pietas est specialis virtus.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut religio est quædam protestatio fidei, & spei, & charitatis, quibus homo primordialiter ordinatur in Deum: ita etiam pietas est quædam protestatio charitatis, quam quis habet ad parentes & ad patriam.

Ad secundum dicendum, quòd Deus longè excellentiori modo est principium essendi & gubernationis, quàm pater vel patria: & idè alia virtus est religio, quæ cultum Deo exhibet, à pietate, quæ exhibet cultum parentibus & patriæ. Sed ea quæ sunt creaturarum, per quædam superexcellentiâ & causalitatem transferuntur in Deum, ut Dionys. dicit in lib. * de diu. nom. Vnde per excellentiam pietas cultus Dei nominatur, sicut & Deus excellenter dicitur pater noster.

*Ex cap. 1.
habetur.*

Ad tertium dicendum, quòd pietas se extendit ad patriam, secundum quod est nobis quoddam essendi principium. Sed iustitia legalis respicit bonum patriæ, secundum quod est bonum commune. Et idè iustitia legalis magis habet quòd fit virtus generalis, quàm pietas.

ARTIC. IV.

Vtrum occasione religionis sint prætermittenda pietatis officia in parentes?

538

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd occasione religionis sint prætermittenda pietatis officia in parentes. Dicit enim Dominus Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Vnde & in laudem Iacobi, & Ioannis, Matt. 4. dicitur, quòd relictis rebus & patre, secuti sunt Christum. Et in laudem Leuitarum dicitur Deuter. 33. Qui dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos; & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum. Sed ignorando parentes & alios consanguineos, vel etiam odiendo eos,

eos, necesse est quod prætermittantur pietatis officia. Ergo propter religionem officia pietatis sunt prætermittenda.

¶ 2 Præterea, Matth. 8. & Luc. 9. dicitur, quod Dominus dicenti sibi, Permite me primum ire & sepelire patrem meum, respondit, Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: Tu autem vade, & annuntia regnum Dei: quod pertinet ad religionem. Sepultura autem patris pertinet ad pietatis officium. Ergo pietatis officium est prætermittendum propter religionem.

¶ 3 Præterea, Deus per excellentiam dicitur pater noster. Sed sicut per pietatis obsequia colimus parentes, ita per religionem colimus Deum. Ergo prætermittenda sunt pietatis obsequia propter religionis cultum.

¶ 4 Præterea, Religiosi tenentur ex voto, quod transgredi non licet, suæ religionis observantias implere, secundum quas suis parentibus subvenire impediuntur: tum propter paupertatem, quia proprio carent: tum etiam propter obedientiam, quia sine licentia suorum prælatorum eis claustrum exire non licet. Ergo propter religionem prætermittenda sunt pietatis officia in parentes.

SED contra est, quod Dominus Matth. 15. redarguit Phariseos, qui intuitu religionis honorem parentibus debitum subtrahere docebant.

RESPONDEO dicendum, quod religio, & pietas sunt duæ virtutes. Nulla autem virtus alij virtuti contrariatur, aut repugnat: quia secundum Philosoph.* in predicamentis, Bonum non est bono contrarium. Unde non potest esse quod pietas, & religio se mutuo impediant, ut propter actum unius actus alterius excludatur. Cuiuslibet enim virtutis actus, ut ex supra dictis patet †, debitis circumstantiis limitatur: quas si prætereat, iam non erit virtutis actus, sed vitij. Unde ad pietatem pertinet officium, & cultum parentibus exhibere; secundum debitum modum. Non est autem debitus modus, ut plus homo tendat ad colen-

*In ca. de
oppositis,
nō remo-
dē à fine.
Et lib. 2.
Topic. c. 3
† 1. 2. q.
7. a. 2. c.
9. 18. a. 3.*

* in Luc.
12. in ti.
De spiri-
tuali in-
tellectu e-
ius quod
Dominus
dixit, t. 5
† ad He-
liodor. de
laude vi-
tae solita-
ris, non
procul à
prin. t. 1.
* Ho. 37.
in Euāg.
non mul-
tū procul
à prin.

colendum patrem, quam ad colendum Deum. Sed si-
cut Ambros. * dicit super Luc. Necessitudini generis,
diuinæ religionis pietas antefertur. Si ergo cultus pa-
rentum abstrahat nos à cultu Dei, iam non esset pie-
tatis, parentum insistere cultui contra Deum. Vnde
Hieron. dicit in epist. ad Heliodorū, † Per calcam
perge patrem, per calcam perge matrem, ad vexil-
lum crucis euola: summum genus pietatis est in hac
re fuisse crudelem. Et idè in tali casu dimittenda
sunt officia pietatis in parentes, propter diuinum re-
ligionis cultum. Si verò exhibendo debita obsequia
parentibus non abstrahamur à diuino à cultu, hoc
iam pertinebit ad pietatem: & sic non oportebit pro-
pter religionem, pietatem deserere.

Ad primum ergo dicendum, quòd Gregor. * expo-
nens illud verbum Domini, dicit quòd parentes, quos
aduersarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo
nescire debemus. Si enim parentes nostri nos prouo-
cent ad peccandum, & abstrahant nos à cultu diuino,
debemus quantū ad hoc eos deserere, & odire. Et hoc
modo dicuntur Leuitæ suos consanguineos ignorasse:
quia idololatriæ secundum mandatum domini nomi-
pepercerunt, vt habetur Exod. 32. Iacobus autem &
Ioannes laudantur ex hoc quòd sunt secuti Dominum,
dimisso parente: non quia eorum pater eos prouoca-
ret ad malum, sed quia aliter æstimabant ipsum posse
vitam transigere, eis Christum sequentibus.

Ad secundum dicendum, quòd dominus idèd pro-
hibuit discipulum à sepultura patris, quia sicut Chrys.
dicit *, Per hoc eum dominus à multis malis eripuit,
puta, luctibus, & mæroribus, & alijs quæ hinc expe-
ctantur. Post sepulturam enim erat necesse & testa-
menta scrutari, & hæreditatis diuisionem, & alia hu-
iusmodi, & præcipue quia alij erant qui complere po-
terant huius funeris sepulturam. Vel sicut Cyrillus ex-
ponit super * Luc. discipulus ille non petijt quòd pa-
trem iam defunctum sepeliret, sed adhuc viuentem in
senectute sustentaret, vique quo sepeliretur. Quod Do-
minus

Ho. 28 in
Matt. nō
remotè à
f. 10. 2.

* in Luc.
cap. 9.

minus non concessit : quia erant alij qui eius curam habere poterant, linea parentelæ astricti.

Ad tertium dicendum , quòd hoc ipsum quod parentibus carnalibus ex pietate exhibemus , in Deum referimus : sicut & alia misericordiæ opera, quæ quibuscumque proximis impendimus , Deo exhibita videntur, secundum illud Matth. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et ideò si carnalibus parentibus nostra obsequia sunt necessaria , vt sine his sustentari non possint, nec nos ad aliquid contra Deum inducant : non debemus intuitu religionis eos deferere. Si autem sine peccato eorum obsequijs vacare non possumus , vel etiam si absque nostro obsequio possunt sustentari: licitum est eorum obsequia prætermittere ad hoc, quòd amplius religioni vacemus.

Ad quartum dicendum , quòd aliud dicendum est de eo qui est adhuc in seculo constitutus; & aliud de eo qui iam est in religione professus. Ille enim qui est in seculo constitutus, si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet eis relicta religionem intrare: quia transgredereetur præceptum de honoratione parentum. Quamuis quidam dicant quòd etiam in hoc casu licitè posset eos deferere, eorum curam Deo committens. Sed si quis rectè consideret, hoc esset tentare Deum: cum habens ex humano consilio quid ægeret, periculo parentes exponeret, sub spe diuini auxiliij. Si verò sine eo parentes vitam transigere possent, licitum esset ei, desertis parentibus religionem intrare : quia filij non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis, vt dictum est *. Ille verò qui iam est in religione professus, reputatur iam quasi mortuus mundo. Vnde non debet occasione sustentationis parentum, exire claustrum, in quo Christo conspeditur, & se iterum secularibus negotijs implicare. Tenetur tamen, salua sui prælati obedientia, & suæ religionis statu, pium studium adhibere, qualiter eius parentibus subueniatur.

In corp.
ar & ar.
2.

QVÆ-